

Die 5 illustrissimus dominus discessit cum suis et se contulit ad ecclesiam parochialem olim Sancti Quilici et modo Sancti Sebastiani loci Monticelli Aleriensis dioecesis, ubi hora 16 fuit receptus a reverendo Antonio Orticoni rectore et a populo. Omnibus de more persolutis, celebravit missam; hinc pontificaliter indutus habuit mortuorum absolutionem et deinde visitavit sanctissimum Sacramentum optime retentum eoque benedixit populum. Baptisterium etiam et sacra olea munda reperiit.

Altaria sunt quinque. Maius, in quo asservatur sanctissimum [87v] Sacramentum; secundum a cornu epistolae, sancto Sebastiano tit(ulari) dicato; tertium est altare sanctissimi Rosarii, in quo erecta est canonice societas. Hoc altare habet annui redditus ex eleemosinis fere libras centum. Quartum a cornu epistolae, sanctissimae Trinitatis; quintum, sanctissimae Conceptionis iurispatronatus familiae Orticoni. In eo est erecta cappellania a quondam reverendo Nicolao Angeletto et Cruciano filiis quondam Antonii Orticoni, cum onere missarum sex in hebdomada, prout ex instrumento notarii Raphaelis Cattinco rogato die 20 iunii 1658. Manutentio altaris pertinet ad compatronos, nempe modo ad reverendos Guidum Ioannem quondam Francisci, Ioachim quondam Antonii Simonis et ad Franciscum quondam Antonii Philippi, omnes de Orticonis. Cappellanus modo est sacerdos Angelettus Orticoni, qui iuramento adfirmavit se oneri satisfecisset.

Praeter altaria particularia, reliqua a populo manentur, quemadmodum tota ecclesia et sacra suppellectilia; et cum omnia decentia sint, illustrissimus dominus [88r] commendavit pietatem populi.

Expositum autem fuit commodius et decentius futurum populo in parochialem ecclesiam constituere ecclesiam Sancti Caroli, et illam Sancti Sebastiani in oratorium seu casazza, utpote quia ecclesia Sancti Caroli amplior et decentior est. Illustrissimus ac reverendissimus dominus, visitatis utrisque, approbavit huiusmodi consilium et coram populo dixit ut quantocius fiat, prout ex decreto etiam quod edidit. Verum ob exortas statim factiones, ne inde in iurgia et lites cederent executioni demandatum non fuit.

Annui redditus parochi sunt librae 575. Familiae 114. Sacerdotes quindecim. Animae 595. Altare privilegiatum altare maius.

Ad maiorem laudem cleri dicti loci recensenda est laudabilis consuetudo, ut omnes sacerdotes conveniant in ecclesiam ad psallendum divinum officium tamquam canonici, sub poena

etiam si quis negligat. Huiusmodi laudabilis mos vel maxime placuit Dominationi Suae illustrissimae [88v], et ut etiam in posterum prosequantur enixe fuit hortata.

Post prandium consueto more habuit sacramentum Confirmationis in praesignata ecclesia parochiali Sancti Caroli, quo magis ita populum ad eam statuendam in parochialem adduceret.

Successive visitavit oratorium Sancti Francisci Xaverii, quod modo construitur, et de eo laudavit pietatem populi.

Tum visitavit antiquam parochialem Sancti Quilici, pro qua solum praecepit restaurari lapides sepulchrales.

Convisitator Viterbi visitavit oratorium Sancti Antonii Patavini iurispatronatus dominorum de Fabianis, in quo erecta est cappellania fundata anno 1677 die 12 septembris a quondam duce Antonio Morazzani et a quondam Gregorio Orticoni. Missae celebrandae in anno sunt 195; sed cum dictum oratorium minus proprie se haberet, ideo decreta sunt quae in foliis (etc.).

Vespere facto illustrissimus dominus recognovit libros parochiales et locorum piorum, quibus singulis sua sunt apposita decreta; et nonnulli coram illustrissimo domino debitum solverunt; et nocte in domibus parochialibus quievit.

[...]

Pro ecclesia parochiali Sancti Sebastiani loci Monticelli

Illustrissimus ac reverendissimus dominus, cum deprehendisset ecclesiam decenter retentam, sacra suppellectilia sufficientia et munda, et clerum huius loci singulis diebus dominicis et festis convenire in ecclesiam ad recitandum divinum officium, summopere laudando parochi, cleri et populi pietatem, enixe omnes in Domino hortatus est ad prosequendum etiam in posterum.

Pro antiqua ecclesia parochiali Sancti Quirici

Sub poena interdicti restauretur lapis sepulchralis mulierum intra tres menses.

[112r] Pro oratorio Sancti Antonii iurispatronatus dominorum de Fabianis

Intra decem dies reparetur planeta violacea, alias sit interdicta, et intra sex menses conficiatur nova alba, amictus, cingulum et corporale, sub poena librarum sexaginta et in subsidium oratorii interdicti.

Faenestrae instruantur saltem tela cera linita, sub poena librarum decem.

Intra quatuor menses missali apponantur missae novorum sanctorum et canon, quo tempore elapso missale sit interdictum

